

## A D O L E C T O R E M.

conscriptis\*. Praeterea, vir eximiae industriae & doctrinae CHRISTOPH. MATTHAEUS \*Biblioth;  
PRAAFFIUS, nuper in hac urbe edidit Dissertationem Criticam de Variantibus Lectio-  
nibus Nov. Testam. ejusque Editione MILLIANA; quam itidem consulere haud abs  
re fuerit.

Tom.  
xvi. pag.  
311.

Quamvis autem non solum viri laudati in dictis opusculis, sed nos ipsi etiam in superioribus, παραπάντα quædam Cl. MILLII ostenderimus; id tamen neque de meritis viri egregii, neque de præstantia Editionis hujus quicquam derogat. Nemo enim adeo circumspectus est & attentus, quin in opere tam longo, præsertim in quo res est cum tot Codd. MSS. Versionibus, Patribus, & Commentatoribus, quædam subinde, aliud agens, prætermittat: nemo adeo perspicax & acutus, quin in materia tam lubrica, ubi de tot variantibus lectionibus judicium ferendum est, interdum labatur, & à veritate aberret. Sane, quo quisque est rei Criticæ peritior, eo se æquiore, sat scio, Cl. MILLIO præbabit, sicubi pro ingenii humani imbecillitate offenderit. Nam ita plerumque fieri solet, ut homines imperiti & ignavi, quique ipsi nihil unquam rei literariae juvandæ gratiâ conantur, acerbissimi sint aliorum censores, & veniam aliis dare nesciant, quâ ipsis nunquam opus fuit. Sed hæc εἰσομένη.

Id porro monendus est Lector, viros doctos, qui Editionem Cl. MILLII ad censuram revocarunt, immerito interdum ab eo dissentire; cujus rei exemplum hic adducam. Ad Ephes. i. vers. i. MILLIUS notat, BASILIUM PRO τοῖς ἄγιοις τοῖς θεοῖς ἐν Εὐρώπῃ, fide antiquorum Exemplarium & Patrum vetustiorum, legendum censuisse, ἄγιοις τοῖς θεοῖς, absque ἐν Εὐρώπῃ: quâ in re eum falli putat Cl. L'ENFANT, supra laudatus, in Epistola priore, quæ legitur Tom. XVI. dictæ antea Bibliothecæ Selectæ. Sed certum est ipsum virum Cl. falli, & MILLIUM recte cepisse mentem BASILII, qui id utique vult, Apostolum Paulum ad reliquarum Ecclesiarum Fideles scribentem, in principiis Epistolârûm suarum addere solere nomen loci, in quo degant (veluti ad Romanos, τοῖς θεοῖς ἐν Πόλει: ad Philippenses, τοῖς θεοῖς ἐν Φιλίππων, &c.) ad Ephesios vero scribentem, absolute dixisse, τοῖς θεοῖς, absque ἐν Εὐρώπῃ, ut eos nimirum ιδιαζόντας (i.e. appellatione peculiari & singulari) vocaret ὥστε, tanquam γνωστὸς ἀνωρθός τῷ ΟΝΤΙ δὲ ἐπιγνώστας, i.e. sincere unitos EI QUI EST (i.e. Deo) per cognitionem. Sane si addatur, ἐν Εὐρώπῃ, BASILII interpretatio nullo modo stare poterit, nisi addito post θεον altero articulo τοῖς, scribatur, τοῖς θεοῖς τοῖς ἐν Εὐρώπῃ, i.e. unitis Deo qui sunt Ephesi; ut alterum θεον post articulum posteriorem subintelligatur. Nam si cum uno tantum articulo scribatur, τοῖς θεοῖς ἐν Εὐρώπῃ; vox θεοί non poterit significare id, quod BASILIUS vult; sed simpliciter, qui sunt, vel degunt Ephesi; ut τοῖς θεοῖς ἐν Πόλει, iis, qui sunt Romæ, &c. neque magis ιδιαζόντας Apostolus Ephesios, ex sensu BASILII, vocaverit ὥστε, quam Romanos, Philippenses, &c. ad quos scribens, eadem plane loquendi formulâ utitur. Quare certum est, variantem loci hujus lectionem, secundum mentem BASILII, sitam esse in vocibus ἐν Εὐρώπῃ; quas in veteribus quibusdam Codd. non lectas esse affirmat, & proinde delendas censet, ut interpretationem suam, somnio & figmento potius, quam veritati propriorem, inde stabiliat. Quod ad locum Hieronymi attinet, cuius Cl. L'ENFANT, præeunte MILLIO, mentionem facit; in eo sententiæ ejus nihil est præsidii. Nam verba illa laudati Patris: *Quidam curiosiis quam necesse est putant, ex eo quod Moysi dictum sit Exod. 3. Hæc dices filiis Israël, QUI EST misit me, etiam eos qui sunt in Epheso Sancti & Fideles, ESSENTIALE vocabulo nuncupatos: idem significant, ac si dixisset: Quidam putant Apostolum Paulum ad Ephesios scribentem, eos καὶ ἐξοχὴν appellasse ὥστε, absque ἐν Εὐρώπῃ; ut sicuti Deus absolute dicitur ὁ ΩΝ, i.e. QUI EST, ita quoque Ephesios eodem Essentiæ vocabulo nuncuparet.* Clarius hoc patet ex iis, quæ dictus Pater ibidem subjecit: *Alii vero simpliciter non ad eos, qui sunt, sed qui Ephesi Sancti & Fideles sint, scriptum arbitrantur. Ac si dixisset: Alii vero simpliciter putant Apostolum hoc loco scripsisse, non τοῖς θεοῖς (absque ἐν Εὐρώπῃ) sed τοῖς θεοῖς ἐν Εὐρώπῃ ἄγιοις &c. Non ergo secundum Hieronymum, varians lectio dicti loci sita erat in articulo τοῖς, ante vocem θεοί (quod tamen Cl. L'ENFANT ita affirms, ac si id Hieronymus expresse diceret) sed in vocibus illis ἐν Εὐρώπῃ.* (a)

Sed de his hæc tenus. Restat, ut quid in Nova hac Editione à nobis præstitum, vel additum sit, Lectori paucis exponamus. Primo, TEXTUM GRÆCUM cum XII. Codd. MSS. quibus Cl. MILLIUS usus non est, collatum damus. Ex his, novem, qui tantum quatuor Euangelia continent (nono tamen excepto, qui præter 4. Euangelia, & alias Novi Testamenti partes complectitur) Parisiis in Bibliotheca Regis Christianissimi adservantur: quorum Collationes rogatu Illustrissimi Abbatis BIGNONII, magni illius literarum Patroni, benevole nobis impertivit Illustrissimus Abbas de LOUVOIS, supremus

(a) Hæc omnia tamen tanti visa non sunt L'Enfantio, ut sententiam suam deferret, sed acriter eam et quædam ut miki videtur, non male tueretur in Epistola quam Clericus Bibl. sel. Tom. XXI. p. 96. et seqq. inferuit.